





1. G. Funerij pentas illustrium cuestiōnum  
 historiā passionis dominice 1690  
 2. Andri. Concij explicatio IV circumst. ex p̄fſione.  
 3. Bernh. v. Sanden, diff. de Sponso Sanguinum. 1653  
 4. Christ. Sahmij diff. de viro dolorum. 1718.  
 5. ejusdem, diff. de agno paschali. 1712.  
 6. Jac. Roesers diff. III de morte iude 1668.  
 7. Mich. Schreiber diff. de verbis H̄I, H̄II, Anna Zabaxea. 1716.  
 8. Mich. Sanderi orationes duæ de iudicio p̄lati. 1679.  
 9. Balth. Rhau, meditatio sacra vulnerum. Chr̄s. 1635.  
 10. Jaci Bürger, diff. de veteri Roman: crucifigendi modu. 1670.  
 11. Barth. Goldbach diff. de materia et forma crucis. 1687.  
 12. Mich. Hoynovij programma. 1698.  
 13. Christoph. Schulte de iudeo non mortali 1689.  
 14. Joh. Affelmanni diff. de Descentu Chr: ad inferos. 1616

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
exhibens  
**TRIGAM POSITIONUM**  
**DE**  
**SALUTE**  
**GENTIUM**  
**INFIDELIUM,**

Quam

DIVINO JUVANTE AUXILIO  
VENERANDA FACULTATE THEOLOGICA  
CONSENTIENTE,

SUB PRÆSIDIO

**BERNHARDI** von SANDEN,  
S. Th. Doctoris, Prof. Prim. Concionatoris

Aulici Pr. & Confift. Samb. Consil. dignissimi,

IN ACADEMIA PATRIA,

IN AUDITORIO MAXIMO

publicè ventilandam proponit

**GEORGII REIMER,**

Reg. Pruss.

AUTOR & RESPONDENS,

Anno M. DCC. XIII. ad d. 20. Junii,

H. Lg. S.

**REGIOMONTI**, Typis ZÄNCKERIANS.

PER - ILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,  
**DN. LUDWIG RAUTER,**

S.R.M. in Bor. Dicasterii Aulici Consiliario,  
Consistorii Sambiensis Præsidi & Officiali,

Hæreditario Domino in Groß - Sobroß / Niesau / Damerau &c.

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO

**DN. JOHANNI REYHER,**

S.R.M. à Legationum & Aulæ Consiliario  
gravissimo,

PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO  
DOCTISSIMO.

**DN. CHRISTIANO FLOTTWELL,**

Mag, Phil. Diacono apud Kniphofianos  
disertissimo,

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMO

**DN. HENRICO BARZESCHI**

Secretario Palæopolitano meritissimo,

NOBILI ac SPECTATISSIMO

**DN. PETRO MELCHIORI BESSI**

Mercatori Palæopolitano florentissimo,

Mæcenati, Fautoribus ac Promotoribus honoratissimis

Has tenues pagellas, in signum observantie  
& gratitudinis, cum voto integræ san-  
tatis & omnigenæ felicitatis,

dicat, dedicat

**GEORGE REIMER,**

A. & R.



## PROOEMIUM.



### RATIA DEI IN CHRISTO JESU

Salutis nostræ primarium profectò & unicum est Principium; hæc Metropolis salutis animarum est, hæc peccatores refractarios, quibus nulla alia cura est, nisi temerata libido peccandi, à viâ mendacii retrahit, & accedente *egyptio* Spiritus S. lege

terret, Evangelio consolatur, ut ad DEUM per pœnitentiam in tempore se convertant. *Nemo enim idoneus est, cogitare aliquid, quasi ex se ipso,* 2. Cor. III, 5. *Ast DEUS operatur velle & perficere,* Phil. II, 13. Ipsa veritas hæc suo axiomate confirmat; *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misse, traxerit eum,* Joh. VI, 44. Hæc est, quæ nobis vitam æternam largitur, juxta Apost. *DEUS non salvavit nos ex operibus nostris, sed ex gratia, que data est nobis in Christo ante tempora secularia,* 2. Tim. I, 9. Et alibi; *Ex gratia salvari estis, per fidem, non ex vobis, quia DEI donum est,* Eph. II, 8. Hic nulla qualitas infusa & charitas inhaerens Pontificiorum, nec liberum arbitrium seu rationalis voluntas, ceu radix fructifera ac fœcunda Pelagii, hostis gratiæ divinæ, locum habet; sed charitas DEI gratiæ alumnæ, Rom. V, 5. ac voluntas misericordiæ plena, *que omnes vult ad agnitionem veritatis pervenire,* 1. Tim. II, 4.

A

Non

<sup>2</sup>

Non vero uni vel alteri DEUS hanc gratiam offert, sed omnibus, Ezech. XVIII, 32. Omnibus Christi redemptio parata, 2. Cor. IV, 14. 15. Omnes ad eandem vocavit. Nec Ethnicos hac luce & gratia destitutos fuisse, sed a Patre luminum tractos, & ad Ecclesiam DEI vocatos, in eadem, ceu Arca Noæ, servatos & salvatos fuisse, in hisce positionibus declarare studebimus. Tu Alme DEUS, mihi in tenebris haerenti lucem spargens, primitis his tuâ gratia adsis, & clemens opitulare!

### POSITIO I.

Vocavit DEUS Gentiles ad Ecclesiam suam & sa-  
lutem, tam in Veteri quam in Novo Testamento.

§. I.

**D**EUS summè Bonus neminem per summam misericordiam suam perire vult. Vivo ego, inquit Ipse, si complacitum mihi sit in morte impi, quin magis cum se converterit impius à via sua, & vixerit: conver-  
timini, convertimini de vestris malis, & quare moriemini domus Israël? Ezech. XXXIII, 11. Conclusit DEUS omnes eis a te Dei, ut omnium misereatur, inquit Apostolus Rom. XI, 32. Non soli electi sub hac incredulitate conclusi, sed & reprobi, quia & his DEUS poenitentiam dat ad agnoscendam veritatem, & resipi-  
scant ē Diaboli laqueo, 2. Tim. II, 25. 26. Quærít ovem perditam, Luc. XV, 4. & prævaricatores, incredulosq; ad poenitentiam in-  
vitat, Rom. II, 4. Atque hac infinita DEI misericordia omnes salvandi rationi abscondita, προωχθη ante secula in gloriam nostram, 1. Cor. II, 8. manifestata quoque in verbo clarissimo,  
ne quisquam se excusat.

§. II.

§. II. DEUS namque in V. T. verbum suum non sub  
medio occultavit, sed supra candelabrum posuit, suumque no-  
men illustribus miraculis notum reddidit, ut scriptum; *Posui*  
*te (Pharaonem) ut ostendam in te magnitudinem meam, & nar-*  
*retur nomen meum in omni terra*, Exod. IX, 16. Vocavit  
DEUS tribus vicibus omnes homines, (1) in Proto-  
plastis, quibus maxima amplitudo gratiae facta. (2) in Noa  
& familia ejus, cum quibus fœdus initum durabat simul ad  
posteros, Gen. IX, 9. Nec qui seipso ab Ecclesia cum  
Caino, Chamo & Jerobeam separabant, prætendere potuerunt,  
sibi ignotam esse DEI voluntatem. (3) Tempore Christi &  
ævo Apostolico, juxta vaticinum David: Linea eorum exitit in  
omnem regionem & sermo ad fines terræ, Ps. XIX, 5. Præ-  
cellit equidem Judæus multum Gentili, quod illi commissa sint  
oracula DEI, ut loquitur Paulus Rom. III, 1. 2. interim & Gen-  
tilibus DEUS se quoque patefecit: Ανεπολέγοντο enim facti,  
quod cum DEUM cognoverint, non ut DEUM glorificave-  
rint, nec grati fuerint: sed frustrati ἐν τοῖς ἀγαλογισμοῖς ἀντῶν  
(circa idola & pluralitatem Deorum) obtenebrati sint. Stulti  
facti, cum se crederent esse sapientes. Commutaverunt veri-  
tatem DEI mendacio, & coluerunt ea, quæ condita sunt supra  
eum, qui condidit, qui est laudandus in secula, repleti omni  
injustitia, malitia, contentione, dolo, malis prædicti moribus,  
obtrectatores, DEI osores, glorioli, expertes intelligentiae, nescii  
fœderis &c. ut παρηγοριασικῶς iisdem objicit Apostolus Rom. I.  
v. 21. & sequ. Conf. Gerhard. T. 2. LL. Theol. loc. de Elect. &  
Reprob. c. 7. p. 61. D. Phil. Nicol. L. I. de Regn. Christi, c. I.

§. III. Serio DEUM voluisse omnium salutem, nec apud  
ipsum respectum ullum esse personarū, evidenter docent exempla  
Gentilium Ecclesiæ V. T. implantatorum: Accedebat enim ac  
Ecclesiam DEI ex Midianitis Jethro, Exod. XVIII, 12. Ex Moabiti

Ruthi, c. I, 16. Ex Cananæis Rahab, Jos. VI, 12. 25. Gibea-  
nitæ, Jos. IX, 15. Ex Hettæis Urias, 2. Sam. XI, 3. 11. 13. Ex  
Assyriis Ninivitæ, Jon. III, 5. (Quamvis R. Aben Esra impu-  
denter eos olim populum DEI fuisse, quod Prophetæ ad ipsos  
destinatis fuerit, nec legantur Baalim fregisse vel sustulisse,  
dicat. Conf. Ursin. comm. in Jon. I, 1. 2. p. m. 11.) Ex Tyriis  
Hiram, 1. Reg. V, 1. Ex Arabia Regina Austri, 1. Reg. X, 1.  
Matth. XII, 42. Ex Babylone Nebucadnezar, postquam à DEO  
castigatus, Dan. IV, 31. 34. Ex Persis Darius Medus, Dan. VI, 26.  
Cyrus ab ipso DEO in uterò vocatus, 2. Paral. XXXVI, 23.  
Jos. L. 9. A. J. c. 1. Quibus annumeres Hiobum, c. I, 2. Na-  
man Syrum, 2. Reg. V, 1. & qui Act. II, 5. dicuntur ἄρχες  
Εὐλαβεῖς. Conf. Dürr. Theol. Disp. I. ex Rom. I, 20. §. 30.  
Dieter. Annal. Evang. F. 3. Reg. p. m. 92. Erant hi & plures  
ἀνεστήσαντο, advenæ, quorum aliqui (α) portæ, habitantes  
inter Judæos, Deut. XIV, 29. septemq; præcepta (de quibus vid.  
Quistorp. Annot. Bibl. ad Gen. XVIII. p. m. 38.) colentes; ali-  
qui proselyti (β) justitiæ seu foederis, circumcisionem, ba-  
ptismum ac oblationem holocausti suscipientes, dicebantur,  
qualium tot millia tempore Salomonis in extruendō templō  
fuisse, probabile est è 1. Reg. V, 16. Conf. Selden. L. 6. de  
jure Gent. c. 14. Nec numerum ingentem reticet Nidda f. 13. 2.  
*Proselyti*, inquit, impeditum *adventum Messie* & scabies sunt  
Israël. Voet. Diff. sel. P. 2. p. 98. Atque sic vides odorem  
Verbi Divini undique circumfusum, eloquia Jehovæ instar plu-  
via vel nivis longè lateque corda insciorum rigasse atque ad  
Ecclesiām licet lento gradu duxisse, vid. Esa. LV, 10. II. Hos.  
VI, 3. Omnes enim ad nuptias invitati, Matth. XXII, 3.

§. III. Nec refert, multos hac gratiâ caruissse, ac suis  
erroribus errasse: Illi namque æterna vita indignos se reddi-  
derunt, Act. XIII, 46. tota die extendit DEUS manum, Eſ. LXV, 5.  
vocavit, sed renuerunt, Prov. I, 24. nec responderunt, Eſa.  
LXV,

LXV, 11. Objic. Pf. CXLVII, 19. 20. *Annunciat verba sua Iacob, statuta & iudicia sua Israeli.* Non fecit taliter genti, &c.  
Resp. Solennis & specialis vocatio, qualis Judæis tunc contigit, illis defuit, idque majorum negligentia, qui cœlestis doctrinæ depositum ad posteros non transmiserant, sed suis flagitiis & idolis indulserant, quare in sensum reprobum traditi sunt, Rom. I, 21. Sed non communis Generalis & Ordinaria. Fatendum, Judæos præ reliquis excellentiora beneficia à D E O hausisse, cuius tamen causas nos ignoramus. Alias in totâ terrâ sunt iudicia DEI nota, Pf. CV, 7. & extraneum alienigenamq; audit DEUS, 1. Reg. VIII. v. 41. 42. Nunquam occasio defuit Ethnicis religionem puram amplectendi, quin miracula divina, victoria tot Israëlitarum, splendor Regni & Religionis aliaq; sufficiebant oves errantes ad verum ovile alliciendi. Non dicam notitiam fidei Gentiles è conversatione cum fidelibus concipere potuisse; sic Abraham conversabatur cum Ægyptiis, Gen. XII, 7. Isaac cum Philistæis, Gen. XXVI, 1. Judæi cum Phœnicibus, Chaldæis & Persis; Philosophis Pythagoras cum Carmelitis Eliæ & Elisei affæclis (quem circumcisum vult Clem. Alex. L. 1. Strom. & Selden. de Jur. Nat. L. 1. c. 2.) Plato cum Hebræis in Ægypto, à quibus Prophetarum oracula & Mosis scripta hausisse fertur, conf. Jani. Diff. de Platon. Judaiz. Hierosolyma ferè in meditullio Orbis (ut geographicè arguntur Villalp. T. 3. Comm. in Ezech. de Apparat. Hieros. p. 1. L. 1. c. 4. f. 13. & Sixtin. Amama L. 3. Antibarb. Bibl. p. 507) sita, IV. Monarchiis stantibus cognita fuit. Innotuit Religio Judaica Babylonii in captivitate Babylonensi, Persis, quorum beneficentia templum reædificabatur, Græcis, quorum Monarcha Alexander M., Hierosolymis sacrificavit & Pontificem honoravit. Joseph. L. 11. A. J. e. 8. Romanis, à quibus per Pompejum fuit capta, test. eod. L. 4. e. 8. Hierosolymis D E U S sedem fixerat, ut Orbis esset Academia; unde

Evangelii sonus exiret in omnem terram: hic stabant pedes Domini, Zach. XIV, 4. In hoc quasi theatro circum sedentibus omnibus populis spectanda sua exhibebat magna lilia, vid. Exod. VIII, 22. Ps. LXXIV, 12. Ursin. Anal. S. L. 4 p. m. 216. Quid quod Ethnici balsama e Judaea tulerint, cur non de balsamo Verbi Divini poterant esse solliciti? Inexcusabiles ergo sunt desidiosi & pertinaces. DEUM enim testantur liber naturae (Rom. I, 20, 21.) Scripturæ, famæ, quibus εδει αφανει, I. Cor. XIV, 10. Ac sic non DEO, sed incredulis culpa assignanda, quod condemnentur.

§. V. Majoribus radiis splenduit lux doctrinæ cœlestis in N.T. Expressè Apostoli, Legati & Praecones Evangelii Christi mandato acceptò Matth. XXVIII, 19. per totum orbem erant constituti, Illi autem profecti predicabant ubique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis, inquit Marcus c. XVI, 20. Annunciabant Evangelium omni creaturæ, h. e. toti mundo, Egregiè Origenes: Omnes hominum naturans vicit sermo predicatus cum potentia, nec est videre sullum genus hominum, à quo hec doctrina recepta non sit, L. 2. cont. Cels. p. 663. Quamvis postea sententiam suam mutaverit, asserendo Aethiopes, Seres, Britannos, Germanos, Dacos, Sarmatas, Scythas &c. non audivisse Evangelii Verbum, sed audituros in ipsa seculi consummatione. Tract. 28. in Matth. p. 158. Quod ipsum Christi verbis contrarium, qui, quando jussit toti mundo Evangelium annunciarri, nullam nationem ab auditu hoc salutari exemit. Placent verba Hieronymi: Non puto, inquit, aliquam remansisse gentem, que Christi nomen ignoret. Quanquam gens aliqua non habuerit predicationem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare, Comm. in Matth. c. 24. f. 35. Eusebius magno applausu velocitatem Apostolorum depraedicat, quod divinâ gratiâ in tam brevi spatio tem-

temporis mandato Christi satisfecerint, ac odore Evangelii orbem repleverint, dum ait: *Ita quidem, cœlesti divinaque virtute & præsidio repente, nulla ferè mora interposita tanquam quoddam Solis jubar, salutare D'E I Verbum universum terrarum Orbem suo splendore collustravit.* — Atque Ecclesia quidem non aliter, quam area, quæ tempore messis immenso frumenti numero drepente completur, infinita prope & innumerabili multitudine hominum, in cunctis civitatibus & vicis veram religionem & fidem amplectentium subito referta est, L. 2. H. E. c. 3. p. 30. Vaticinatus jam illud suo tempore Elaias dicens: *Et venient gentes ad lumen tuum, & Reges ad splendorem tibi exorientem. Leva per circuitum oculos tuos, & vide, omnes illi congregati venerunt ad te: filii tui de longe venient, & filie tua, que in latere sunt, fovebuntur.* Tunc videbis & afflues, obstupecies, & dilatabit se cor tuum, quod conversa ad te fuerit copia maris, opes gentium venerint ad te, c. LX, 3. 4. 5. 6. seqq. Implevit vero hac Christus lumen mundi, illuminavit quippe, omnem hominem venientem in hunc mundum, Joh. I, 7.

§. VI. Etsi vero Salvator in prima sua missione solùm se dicat ad liberos (scilicet Judæos) non vero canes (Gentiles) missum, Matth. XV, 24. & suos Apostolos prohiberet a finibus Gentium, Matth. X, 5. Postea tamen eosdem disertè ablegavit ad Gentes, Matth. & Marci Ultim. Nam propter duritatem Judæorum & ariſtocrav eorundem exire jussit servos in plateas urbis, & pauperes, debiles, cláudos ac cœcos (i. e. Ethnicos à Regno Christi alienos, ac in fide cœcutientes) ad Coenam magnam introducere, Luc. XIV, 16. ut non solùm Judæorum, sed & Gentilium DEUS esset, Rom. III, 29. Davidi justum germen, Jer. XXIII, 5. Ethnicorum vero vexillum, Es. XI, 18. & solatium, Hagg. II, 8. Christus mellitissimus erat. In tenebris quippe versantibus oriebatur lumen, ipse Filius DEI, qui DEUS, Pater

Ethnicus

8

Ethnicos in hereditatem & orbis terminos in proprietatem dederat, Ps. II, 8. Ceu in speculo absconditum hoc à seculo mysterium monstrat divina Majestas, quando ad Christum per Prophetam ait: *Leve est, ut sis servus meus ad suscitandas tribus Jacob, & desolationes Israël reducas; dedi enim te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extreum terræ*, Es. XLIV, 6. Cùm scilicet Judæi gratiam spernerent, Ifilii Regni in tenebras detrusi, Matth. VIII, 12. Regnum DEI ablatum, ac Gentilibus concessum est, c. XXI, 43. Et Paulus vas electum, Magister gentium constitutus, Act. IX, 15. Appositè Chrysost. Erat quippe, inquit, consequens, primò ad fidem Judeos potius accedere; quoniam verò sponte sibi oblatum beneficium respuerunt, in contrarium versa res est. Sic ergò manifestum sit, quod diversis ac innumeris modis omnes homines vult DEUS salvos fieri, & in agnationem veritatis venire. Sed qui veniunt, DEI auxilio diriguntur, qui non veniunt, sua pertinacia reluntur. Hom. 7, in Matth. II.

§. VII. Non in solâ Judæa stetit pes Apostolorum, non solorum Ephesiorum, Corinthiorum, Romanorum, Galatarum &c. animas quæsivit & salutem promovit Manipulus Christi, sed longè latèque Universum Orbem, spiritu oris Christi actus, Americam quoque (quam ante Apostolorum tempora inhabitabilem fuisse sentit Ursinus Anal. L. 6. c. 2. p. 378.) seu novum (sic dictum) Orbem penetravit. Matthæum quippe apud Cannibales ἀνθρωπάρες prædicasse, refert Niceph. H. E. L. 2. c. 41. p. 137. Philippum ex Scythia in Americam transiisse & docuisse, vult Luc. Osianer Epit. Hist. Eccl. Cent. I. L. 2. c. 30. Nec vestigia desunt Christianismi olim ibidem fundati. In fide de DEO, Christo & Trinitate. In ritibus tūm ex V. T. in Circumcisione Festis & Sacrificiis: Tūm ex Novo Baptismi, S. Coenæ, Pœnitentiæ institutis; Imo & Mitrarum Episcopaliūm & Cru-



& Crucis indicia Hispanos invenisse, confirmat Horn. L. 4. de Orig. Gent. Amer. c. 15. p. 276. Inventæ sunt apud illos variae reliquiae ab Eccl. Jud. petitæ, ut apud Mexicanos Circumcisio, apud Caraibas Neoménia, Jubilæi 50. anno, Sabbathi septimæ die celebratio, apud Peruvianos agnorum sacrificia &c. Vid. Horn. Præf. de Orig. Amer. ad L. 4. In Jucata insula erectæ cruces vise, quas à pulchrō juvēne relictas asseruere incolæ Petri. Martyr Dec. 4. c. 1. Cumanos crucem coluisse, ut se ab incursiōnibus Satanæ tuerentur, tradit Hug. Grot. Diss. I. 2. de Orig. Gent. Amer. Nicrenberg. narrat, adorasse nonnullos idolum, Targatenga dictum, quod DEUM dicebant Unum in tribus, & tres in Uno. Alios confessionem peccatorum habuisse, credidisse animæ immortalitatem, corporis resurrectionem, abstinuisse religione juris jurandi, dicentes; *se non uti divino nomine, nisi ad adorandum, nec aliter sumere fas esse.* Acosta de Nat. nov. Orb. L. 1. c. 22. Alex. Ross Angl. L. de Variet. Relig. p. 189. tradunt. Plura dabit B. D. Lassenius, Danorū celebris Antistes, in Atheism. devict. p. 152. 154. 162. sequ. *Ast quā viā eō tenēderint, queris?* Nudipedes, pauperes erant Apostoli. Qui cum Pontificiis miracula prætendunt, dicunt, eos per Oceanum, ut Israëlitæ per mare ruorum, ductos, ac instar Petri, Matth. XIV. 28. super aquas eō migrasse; alii Apostolos, quod Piscatores, nec artis nauticæ imperiti, navicula piscatoria more solito illuc transiisse ajunt. Quicquid sit: Sufficit Apostolicam Tubam novum Orbem attigisse, si non solo aut fallo, motore tamen Angelo, cuius ductu Philippus ab Eunaacho Æthiope aliorum raptus est, Act. VIII. 39. Vid. Prænobil. & Amplissimi Nominis Dn. Gotfr. Erasmi Diss. de Apostol. evangeliz. Peregrin. §. 29, 30. Nec mirum, vestigia illa ibidem fuisse inventa, cùm ipsi Americani fassi sint; Majores suos olim aliam & veriorem habuisse doctrinam, Vid. Ferd. Cortesius Narrat. 2. Rer. Ind.

S. VIII. In Chinam 65. A. post C.N. Thomas penetrasse creditur, (qui à nonnullis pro Confutatio Philosophorū summō habetur) ac Evangelium ibidem uberrimè seminasse. Hinc adhuc vestigia S. Trinitatis, opinionē de præmiis piorum in cœlo & poenis improborū in inferis, &c. ibi reperiiri, testatur Frankenb. Schau-Bühne p. 505. Autor Orbis Lumin. refert, inventam fuisse imaginem unō corpore, brachiis duobus, aſt tribus capitibus invicem spectantibus, repertas imagines, Apostolorum iconibus simillimas, spectatam pictaram elegantissimæ Virginis in brachiis puellum gestantis, p. m. 1391. Lapii cuidam apud Sanxuen in ædificatione muri effuso A. 1629. inscripti viſi fuere novem characteres, quorum hic sensus; *Lapis in laudem & memoriam eternæ Legis, Lucis & Veritatis, portatae de Iudea & in Chinā promulgata, erectus.* Conf. B. Dn. Joh. Dieter. Diaconi Palæopol. Regiom. Lect. quotid. Cent. 8. n. 32. p. 453.

§. IX. In volumen excresceret Disputatio, si omnes Orbis partes percurrerem, quò Evangelizantium pedes pervenerunt. Sufficit in omnem terram exivisse sonum eorum & in fines Orbis terrarum verba illorum, juxta Rom. X, 18. & Psal. XIX, 5. Erant Apostoli non tam piscium, quam animarum pescatores, qui reti Verbi Divini tot millia hominum capabant. Orbis totus sub cœli complexu, Evangelicâ prædicione, ceu reti captus est, inquit Cyr. Alex. L. 5. in Esa. LXII. Iudeis oportiebat primum loqui sermonem DEI; sed quoniam repellitis eum, & indignos vos judicatis eterna vita ecce convertimur ad gentes, inquiunt Paulus & Barnabas ad Iudeos blasphemantes, Act. XIII, 46. Prædictit hoc jam pervetusta Talmudica Parabola. *Fore, ut equus ad bovis claudicantis preſepē alligetur,* i. e. Ethnicos, Iudeis Legem deserentibus successuros in hæreditatem quasi gratiæ divinæ, Interpp. R. Jacob & R. Salom. ap. Mornæum de Verit. Relig. Christ. c. 27. Ecce gratiam DEI exuberantem, qui nos ad

31

ad mirabilem lucem perduxit! Omnes eramus sicut oves errantes, & posuit DEUS super Christum iniqüitates omnium nostrum, Ef. LIII, 16. Hic est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed pro totius mundi, 1. Joh. II, 2. Hic, ceu Salvator totius Mundi, Joh. III, 15. omnes vocat serio, ut omnes ubique resplicant, Act. XVII, 30. At, si quis inobedientia, incredulitate, hypocrisi, pharisäica operum fiducia oblatam gratiam respuat, facile candelabrum de loco moturus, Apoc. II, 5. Terrori cuiuslibet sit innumerabilium casus populorum, quibus per tot secula, nulla cœlestis doctrina annuntiatio coruscavit. Vid. Ambros, de Vocatione Gentilium, L. I. c. 5.

## POSITIO II.

*Non tamen salus gentium ex bonis operibus seu virtutibus, non ex lumine connato, non ex fide implicita, sed ex sola fide Evangelica & salvificâ petenda.*

### §. I.

**J**ustinus Martyr in utraque Apologia, Clemens Alex. L. 5. 6. 7. Strom. Chrysostomus Homil. 37. in Matth. XI. prepostero pietatis affectu abrepti senserunt Gentiles multos solâ Lege naturæ sine Lege Evangelica iustificatos & salvatos esse. Secutus hos est Pelagius, ob id ab Augustinô refutatus L. de Nat. & Grat. c. 2. & de Peccat. Orig. L. 2. c. 26. Arripuerunt è Pontificiis eandem sententiam Andradius & Pererius. (Vertumnus, cui semper febricitantis ingenii paroxysmi erant, ut loquitur Beckmann. H. O. T. p. 1. c. 9. S. 1. §. 3.) Pareus Brentium insimulat, quod non modo Numam, Scipiones, Catones, sed & Satanam ipsum, omnesque Diabolorum familias in cœlo collocarit, in

Irenic. c. 3. itemque Lutherum, quod de Cicerone bene spe-  
rarit (in Colloqu. Mensal. c. 37. p. 389.) Sed hos duos explica-  
tos & defensos sistit M. Joh. Georg. Petri Tract. de DEO in natura  
admirand. p. 115. Ipse Megalander se ipsum masculè contra  
convitia hæc defendit. Si, inquit, Numa & Scipio, qui suc-  
runt Idololatre servati & salvati sunt, cur oportuit Christum  
pati & mori. Itaque valde pernitosus est error, quem nos neu-  
tiquam probare vel tueri possumus. Et tamen audio Zwinglium  
allegare Commentarium meum in Genesim, ubi dixi aliquos de ge-  
neratione Cainica salvatos esse, idque etiamnum doceo, sed non  
dico, quod salvati sint, ut Cainite aut Egyptii, sed ut incorpo-  
rati & conjuncti Ecclesie piorum. T. 4. in c. XLVII. Gen. f. 179.

§. II. Ad crassum hunc errorem refutandum notetur  
vero salutis æternæ hæredi, tria esse necessaria,  $\chi\rho\sigma\pi\tau\omega$ , cogni-  
tionem Articul. Fidei,  $\pi\iota\zeta\omega$  seu fiduciam in Christum, &  $\pi\epsilon\zeta\zeta\pi\tau\omega$   
seu vitæ sanctitatem. His destituti Gentiles, per naturæ Le-  
gem cœlum adipisci nequeunt. Arbitramur enim hominem ju-  
stificari per fidem sine operibus Legis, Rom. III, 28. & Eph. II, 8.  
Gratia salutis estis per fidem, & hoc non ex vobis, DEI donum  
est. Credidit Abraham & ipsi imputatum est ad justitiam, Rom.  
IV, 13. Objie. Ethnicos vitam sanctiorem præ Christianis du-  
xisse. Resp. Quod non ex fide venit, peccatum est, Rom. XIV, 24.  
Virtutes Ethnicorum sunt splendida peccata, ut ait Augustin.  
L. 19. de C. D. c. 25. Virtutes, quas sibi habere videtur mens  
DEI veri nescia, nisi ad DEUM retulerit, ipsa sunt potius vitia,  
quam virtutes, inquit Prosper Aquit. Serm. 106. Scriptura S.  
etenim salutis æternæ consecutionem suspendit à salutari notitia  
DEI & Christi Salvatoris ac firmâ fiduciâ beneficia, merito ejus  
parta, apprehendente; quam cum Ethnici destituantur, salvari  
non possunt, 1. Joh. V, 12. Joh. XVII, 3. Proinde bona  
opera licet splendida & heroica, si fide carcent, peccatis accen-  
tentur.

13

festitur (1) Propter Originem, Hebr. XI, 6. Rom. XIV, 23.  
(2) Finem, qui est propria operantis gloria. (3) Adjunctam  
imperfectionem essentialiem; scilicet quod non tegantur me-  
rito Christi. (4) Subjectum; quod persona non renata, adeoq;  
nec DEO reconciliata. Nec enim coram DEO persona pro-  
pter opera, sed opera propter personam placent. Vid. Meissn.  
Anthropol. Dec. 3. p. 57. Gerh. Disp. Ilagog. p. 104. Placer  
nobis sententia Zwinglii (quamvis aliter sentire videatur in  
Expos. fid. Christ. T. 2. Opp. p. 559. b.) qui T. 3. Opp. ad Joh.  
XIV, 6. P. 2. p. 334. ita loquitur; *Christus via est, qui in illò*  
*non incedit, longè aberrat & perit: Veritas est, ergò quicquid ex*  
*Christo non est, mendacium sit oportet. Vita est, ergò qui in*  
*Christo non est, in morte est, & qui aliunde vitam querit, vi-*  
*tam nunquam inveniet, sed in morte peribit.* Et alibi; *Ab non reor*  
*Idolatras, à verò Numine aberrantes, à vita DEI abalienatos &*  
*Patria cœlesti peregrinos, à cognitione DEI aberrantes & cacos,*  
*vita eterna pro fidelibus parta frui. Quid enim luci cum tenebris?*

S. III. Ut hinc ejusmodi homines suæmet salutis incerti  
sint, qui pro Gentilium salute pugnant. Non mirum est,  
Pontificios Gentiles in cœlestem thronum collocare ob opera  
Legis; Ipsi enim pro aris & focis pugnant, bona opera necessaria  
ad salutē esse; similes ferè Turcis quibusdam dicentes, nihil inter-  
esse ad salutem æternam, quamcumque profitearis religionem,  
dummodo sanctè innocenterque vitam transfigas, & judicium  
extremum erendas, Busbequius Legat. in Turc. Ep. 3. Sie  
sagen daß Moses, Christus und Mahomed in der Auferste-  
hung der Todten kommen werden mit drey Fahylein, bey  
welchen alle, so sich zu diesen drey Religionen bekennen,  
erscheinen sollen / Rossæus Tot. Orb. Rel. S. 6. p. 207. An-  
non misericordiam similem fovent Papistæ? Lege Joh. Barelai  
Parænesin ad Sectar. L. i. c. i. p. 30. Maldonatum in Matth. II, 22.

Becanum T. i. Theol. Schol. p. 292. & iudica, num ritè fidei Christianæ pomœria defendant, qui scalam cœlestem è putidis operibus fabricant; num benè vestem justitiae è panno menstruatae consarcinent, qui Gentilium opera ex condigno meritoria sentiuntur. Ast quid multa! Vestigia non S. Scripturae, sed Traditionariorum suorum premunt. Bellarminus enim tradit, Gregorium M. Pontif. Rom. animam Trajani ex inferno liberasse, Lib. 2. de Purgat. c. 8. quamvis Baronius fabulosam hanc narrationem dicat, eamque operosè refutet, T. 8. Anhal. A. C. 604. Vid. Henr. Spondan. Epit. Baron. ad A. 119. n. 2. Transigant inter se Papicola. Nos adduci non patimur, ut cum Erasmo Rot. exclamemus: *O! Sancte Socrates ora pro me*, in Colloqu. tit. Conviv. Relig. Vid. Lassen. Atheism. devict. p. m.

147. aut Aristotelem appellemus Christi præcursum in naturalibus, *cen Johannem in gratuitis*, ut loqui amat Cornelius Agrippa (prædicti Erasmi & Trithemii familiaris, Delrio Disqu. Mag. L. 2. qu. 26. S. 1. ut hinc videas, similes amare labra lactucas;) de Vanit. Scient. c. 54. Sed concludimus, *cum, qui non credit, damnari*, Marc. XVI, 16. Manet Canon ceu saxum quadratum; *Uti arbor cadit, ita jacebit*, Eccl. II, 3.

§. IV. Huic doctrinæ vicinum est *Quakerorum lumen conuatum vel instum*, quod vocant salutiferum, de quô hanc thesin ponit Trementium Coryphaeus Barclajus: Hujus lucis & seminis oderationibus quidam sunt servati & adhuc possunt servari, quibus Evangelium externè nūquām prædicatum fuit, nec historia Christi externa unquam nota, in Apol. th. 5. 6. p. 111. ubi simul fundamentum querit in conclusione Petri; *In veritate deprebendo, quod non sit personarum acceptator Deus, sed in omni gente, qui timet ipsum & operatur justitiam, acceptus ipsi est*, Act. X, 34. 39. Id verò differentia inter Pontificiorum dispositiones, lumini naturali attributas, & Lumen istud

con-

congenitum intercedit, quod illæ vel ad supernaturalem notitiam, in iis, qui nollam adhuc habent, vel ad notitiæ illius augmentum in iis, qui jam supernaturali lumine illustrati (quales erant Cyrus, Darius, Nebucadnezar, quos inter servos DEI numerat Melanchton, Voet. Diss. scl. P. 2. p. 602.) quodammodo sunt, tanquam verae cauæ aut etiam merita de congruo, ducant; hoc verò, describente Barclajo, in se ipso complectator mensuram quandam luminis, mensuram gratiæ seu manifestationem aliquam Spiritus, quam Scriptura vocet semem Regni, Verbum DEI & Evangelium omni creaturæ prædicatum, Apol. p. 79. Verum ex solō congenito lumine salutem adipisci nemo potest.

S. V. Quid namque juvat Lumen sub modio ponere? ubi radios non emittere nec lucem spargere potest; in publicum potius ferendum, ut splendore tenebras dispellere possit. Ita lumen gratiæ-divinæ per prædicationem Verbi Divini, sedisque in Christum crucifixum manifestandum. Non sufficiebat, ut Cornelius, pius & liberalis erga pauperes esset, lumen fidei desiderabat Numen; hinc per Angelum jubebat, ut Petrum concionantem audiret, quod cum ficeret, dona Spiritus S. aderant, ac ipse regenerationis ac baptismi particeps reddebatur, Act. X. Petri verò dictum ita explicandum. DEUS non respicit personam, dummodo pia illa est (pius autem nemo esse potest, qui ὁμολογεῖ μέρα μουσκευτὸν & fundamentum τῆς εὐηγέρσιας, 1. Tim. III, 16. vel ignorat, vel inficiatur) & operetur iustitiam. Operari verò iustitiam est ἐργάζεσθαι, seu operari cibum manentem in vitam æternam, Joh. VI, 27. Hunc verò cibum operari, est credere in Filium, quem misit Pater, v. 29. Quod confirmat Paulus; *Ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam,* Rom. IV, 9. *Iustitia DEI per fidem IESU Christi in omnes*

*E*sper omnes, qui credunt; Rom. III, 22. Quid igitur dicemus? Quod Gentes, quæ sectabantur justitiam (opera merita civilia) apprehenderunt justitiam, sed eam, quæ est ex fide, c. IX, 30. Hæc palmam operibus præripit, hæc basis justificationis, hæc merces hereditatis cœlestis. *Deuterius*. Conf. D. Schelgw. Quaker. confut. P. 1. p. 91. M. Joh. Christoph. Holtzhaus. Anti-Barcl. p. 488.

§. VI. *Fide implicita* Gentiles salvatos fuisse, nonnulli Pontificiorum volunt, cum ignoratur quidem Christus, sive quoad personam, seu quoad officium, cognoscitur vero Pater, qui est unum cum Filio, Joh. X, 36. Verum sic in Pelagianismum incidunt, cuius doctrina est, posse hominem sine gratia ex solis naturæ viribus ad fidem se disponere, & ideo salutem consequi. Fatentur enim & ipsi, sola Legis naturæ & charitatis servatione Gentiles salvatos esse, quia hoc savius, divinæque misericordia & Christi meritis congruentius est, ut loquitur Alphons. Salmero. Quod si regeratur, non esse ullum sub celo nomen, in quo salvari homo possit, nisi unius Christi, responderet; fidei Articulum esse Sanctorum communionem, habentes igitur fidem communicare fidem non habentibus. O! asylum omnium tutissimum, in quo plus praesidiū inveniatur, quam in omni Scripturarum exercitatione, exclamat Card. Hosius L. 5. adversus Proleg. Brent. Ast fides implicita & mutuò accepta ab aliis, qui Christum toti ignorant, non est fides in Christum, sed ignorantia Christi. Inquisitio veritatis & profectus, tunc examen doctrinæ, quam Ministri proponunt, adesse debent, Joh. V, 39. I. Thess. V, 21. I. Joh. IV, 1. I. Petr. III, 13. Profectus in cognitione veritatis à fidelibus exigitur, juxta 2. Petr. III, 18. *Crescite in gratia & cognitione Domini nostri & Servatoris J. C.* Paulus ad ædificationem corporis Christi requirit, ut perveniamus in unitatem fidei & agni-

agnitionis ( non ignorantiae ) Filii DEI, Eph. IV, 12. 13.  
 Conf. Col. II, 19. Dannhau. Theol. Conf. L. I. S. 2. Art. 1.  
 §. 43. Certè fides hæc velamen est multorum oculis, in Papatu,  
 veritatis cognitionem intercludens, inquit Balduin. Cas. Conf. L. 2. cas. 6. p. 57. Cum fide sua quisque vivat, Habac. II, 4.  
 Rom. I, 17. Gal. III, 21. Hebr. III, 38. videant Pontifici, qua  
 ratione ipsi salvi fiant, ne immaturâ misericordiâ perciti, alis  
 cœlum recludere velint, sibi ipsis occludant. Manet promissio  
 Jehovæ; *Cognitione sui, justus servus meus justificabit multos,*  
*Esa. LIII, 11.* Hæc est vita eterna, ut cognoscant te solum DEUM  
 verum, & quem misisti JESUM Christum, Joh. XVII, 3. Hinc  
 Apostolus Ephesiis Spiritum sapientiae & revelationis & illumina  
 minatos oculos intellectus optat, Eph. I, 17. Videat ergo  
 Bellarminus, quomodo se, contra expressa hæc S. Script. dicta  
 defendat, quando fidem per assensum & ignorantiam definit,  
 L. I. de Justif. c. 7. Regerit euidem; intellectum captivan  
 dum esse sub obedientiam Christi, 2. Cor. X, 15. Verum Resp.  
 $\gamma\omega\sigma\tau\tau\theta\epsilon\beta$  benè cum captivatione hæc consistere potest.  
 Non enim gloria Christi rimanda; sed prout in verbo manife  
 stata, humiliter admiranda, colenda & suscipienda venit, interim  
 non prorsus ignoranda. Conf. Rom. X, 14. Nullò modò ergo  
 Ethnici sine hoc salutis fundamento, sine hujus cognitione,  
 rudi assensu salvari possunt; cum enim careant πληροφορίᾳ,  
 certa ( non aliquali, vaga & dubia ) animi de salute persvassione,  
 Rom. IV, 21. πεποιθασίᾳ, plena fiducia, Rom. VIII, 38. παρρη  
 σίᾳ, sine omni trepidatione misericordia divinæ confidente,  
 Hebr. XI, 6. extra spem Israëlis constituti, manent, nec hæ  
 reditatis consortes reddi possunt. Nil juvat fides mutuatitia.

§. VII. Concludimus ergo, Ethnicos non aliò modò sal  
 vatos esse & salvari, quam fide Evangelica & salvifica. Hæc est,  
 nec quam vivimus, Hab. II, 4, hæc merito Christi unicè recumbens,

sola justificat, juxta Rom. I, 17. Gal. III, 11. Nec curamus annihilari, quamvis blasphemè, à Georg. Gotthardo hoc pretiosissimum animarum Καρεκλιον, quando scribit; Lutherani, præter fidem historicam, novam quandam specialem invenerunt, quā meritum Christi apprebendimus, ac nobis peccata remissa esse, certò statuimus. Eam nos, non secus atque pestem execramur. Def. Eccl. Cathol. p. 215. apud D. Schelw. Prūf. des Pabsti-  
thums c. 10. p. 351. Increpet te Satan! Quis ex fide histo-  
rica salvari poterit, cum hac ratione etiam Diaboli credant ac  
contremiscant? Jac. II, 19. Requiritur hic non nuda scien-  
tia, sed certa & fiducialis apprehensio promissionis gratiæ &  
gratuitæ peccatorum remissionis per & propter meritum Christi  
Redemptoris. Per hanc Ethnici salvati sunt; Christus unica  
via, vita & veritas est; in eō quippe benedictæ sunt omnes  
gentes terræ, Gen. XII, 3. c. XXII, 16. quas DEUS ex fide ju-  
stificat, Gal. III, 8. Est ille expectatio gentium, Gen. XLIX, 10.  
desideratus cunctis gentibus, Hagg. II, 8. Extra hunc nulla  
salus, sed tenebrae, perditio & gehenna. Conf. Act. IV, 12.  
Ipsi Gentilium Philosophi, (quoniam unum Numen nonnulli  
(ut Cicero, Socrates, Epicurus, &c. vid. Sennert. Scrutin. Relig.  
Sect. 2. §. 17.) ejusque cultum docuerint,) dicuntur tamen,  
quia DEUM in Christo non cognoverunt & coluerunt αὐτὸν εἰ  
τῷ Κόσμῳ, sine DEO in mundo, Eph. II, 12. Apud quos verò  
abalienata mens à Christo est, ibi pietas non est, nec justitia  
& timor DEI, quæ à DEO approbentur. Imò virtutes eorum  
ob nævos adhærentes, ita DEO sunt exosæ, ut nolit ullam ti-  
mentibus se cum Gentilium tenebris, cum infidelitate, cum  
Beliale esse communionem, 2. Cor. VI, 14. sequ. Urgebant  
Gentiles justitiam, sed non eam, quæ in inspiratione Spiritus S.  
& merito Salvatoris, sed quæ in vanis putidisque operibus con-  
sistebat, Phil. III, 7. 8. Conf. D. Hülseman. de Auxil. Grat. Div.

p. 96. qui hāc de re fusiū tractat. Non cognoscebant Patrem, quia nesciebant Filium, non honorabant Patrem, quia non honorabant Filium, Joh. V. 22. 13. Conf. Dn. Præses Diff. de Cognit. DEI natur. §. 16. sequi.

§. VIII. At inquis; *Quà ratione Ethnici in V. T. in Christum credere potuerunt, cùm tamen Christus nondum venerit, & in carne manifestatus fuerit.* Resp. (1) Meriti Christi æternus est valor, virtus ac efficacia infinita. Ut Apoc. XIII, 8. *Agnus occisus ab origine mundi, ita & Hebr. XIII, 8. JESUS CHRISTUS heri & bodie idem & in secula vocatur.* Nil refert, an Christum mortuum ac moriturum concipias, sangvis JESU Christi non minorem habuit virtutem ad purificandas conscientias, antequam esset effusus. Cùm enim mors Salvatoris per modum causæ moralis operetur, ad quam non requiritur existentia, effectus ejus, existere potuit ante actualem perfectionem. Vid. Musæi Disp. Theol. de ætern. Prædest. decret. c. 3. §. 46. Unde vulgare Theologicum axioma; *Meritum Christi profuit, antequam fuit.* Huc trahendi ( $\alpha$ ) typi omnes, quibus à mundi ortu präfigurata est passio & mors JESU Christi, ceu Propitiatorm, Exod. XXV, 17. Hircus expiatorius & emissarius, Lev. XVI, 2. Agnus paschalis, Exod. XII, 6. Conf. Matth. XII, 40. Joh. III, 14. 15. Quam enim vim & virtutem habuerunt Sacrificia expiandi peccata, Lev. II, 1. 2. Num. XVI, 7. præfertim Sacrificia cruenta, quæ pro peccatis populi offerebantur, Lev. IV, 2. sequi. illam omnem habuerunt in virtute solius meriti Christi, cuius tantum typi & umbræ fuerunt, ut patet ex Hebr. X, 1. sequi. & exinde, quod à re signata separata ac sine fide in Christum oblata DEO fuerint exosa, Esa, I, 11. & LXI, 1. sequi. Huc redeunt ( $\beta$ ) *promissiones & vaticinia*, conf. Esa. LIII, 7. 9. 12. Πρωτευαγγέλιον harum prædictionum caput exstat, Gen. III, 15. De cæteris vid. Esa. VII, 14.

Jer. XXXI, 22. Psal. XXII, per tot. Zach. XI, 12. XIII, 7. Psal. CX, 1. 4. Esa. XI, 3. c. XLV, 23. coll. Rom. XIV, 10. 11. De-creverat namque DEUS ab origine mundi genus humanum redimere per passionem & mortem Filii, quem postea in plenitudine temporis pro peccatis mundi in Sacrificium obtulit, I. Petr. I, 19. Conf. Gerhard. Comm. ad I. Petr. I, 21. Fal-sissima ergo est sententia Hugonis de S. Viatore arbitrantis: *Quae persona Redemptoris mittenda foret, homo, an Angelus, an DEUS, in V.T. nondum manifestatum fuisse*, L. I. de Sacram. Christ. Fid. L. 10. c. 6.

§. IX. (2) Huic merito Christi ceu basi Patres V. T. in-nixi salutem æternam adepti fuerunt. Illi enim ceu fideles, consecuti sunt remissionem peccatorum & poenarum, liberati ac perfectè justificati fuere, prout fideles N.T., juxta Act. XV, 10. 11. Credimus per gratiam JESU Christi salvari, prout & Patres nostri salutati sunt: Cùm in V. T. eadem φιλανθρωπίας promissio & gratia, Tit. III, 4. Rom. III, 24. eademque causa meritoria, Rom. V, 18. I. Tim. II, 5. fuerint, ac in N.T. DEus gratis ignoscit peccata, non secundùm magis & minus, sed æqualis misericordia ac totaliter omnibus sive majora, sive minora peccata patrarint, ut scribit Höppfner. de Justif. Disp. 5. c. 2. p. 325. Atque sic pari ratione fideles V. T. plenariam remissionem in sanguine foederis habuere, ac per meritum Christi in gloriam intrarunt. Ut rem melius dilucidemus, dicimus Christum considerari dupliciter, vel in actuali pro peccatis satisfactione, vel in illius satisfactionis certâ & irrevo-cabili promissione, seu promissoria ad solutionem obligatione, sub quâ sponsione vixerunt Patres V. T. Cùm itaq; Christus ante tempora seculorum peccata suscepisset; Et ceu sponsor & ex-promissor pro iis ad vicariam pœnam obligatus esset, ab eo tamen, ab initio mundi peccata in ipsum absolutè translata,

exa-

exacta non sunt, sed per dissimulationem, conniventiam (juxta Rom. III. 25.) i. e. infligendæ pœna ad tempus omissionem, imputata à DEO ad πληγωμα τε καιρος relicta, Gal. IV, 4. Si ergo passio Christi fuit ante passionem, certi sumus, Patres V. T. non per aliam januam, sed solum Christum, amplectendo ejus merita & beneficia intrasse. Conf. D. Calov. Diff. de Præ-existent. Fili DEI Ante-Mariana & Ante-Mundana, c. XI. §. 143.

§. X. Sat luculenta specimina dederunt fidei fideles V. T. credentes in JESUM Christum Θεανθρώπον, fideles à maledictione Legis redimentem, & sua obedientia Legi præfita, justos constituentem, Joh. XX, 29. Gal. II, 20. Noah factus est hæres justitiae, quæ secundum fidem est, Hebr. XI, 7. celebratur, 2. Petr. II, 5. præco justitiae, & quidem talis, qui per fidem condemnari mundum, Hebr. XI, 7. Credidit Abram, & reputatum est ei ad justitiam, Rom. IV, 3. credidit autem in eum, qui justificat impium, v. 5. vidit Diem Christi, & gavisus est, Joh. VIII, 56. In Christum expectabat Jacob, salutem suam vocans, Gen. XLIX, 10. Clarissimum illud oraculum Deut. XVIII, 18. *Prophetam suscitabo eis &c.* de Christo esse intelligendum, testis est Johannes c. I, 49. & Petrus Act. III, 22. adde, quod Christus Mōsen hōc elogio decorarit, Joh. V, 45. Similiter quoque Prophetæ Doctrinam Evangelii & testimonia de Christo inculcarunt, prout legere est, Esa. XLII, 1. 2. 3. Dedi Spiritum, inquit DEUS, meum super eum, judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam -- Arundinem quassatam non confringet -- Similia vaticinia vid. Jer. XXIII, 6. Ezech. XXXVII, 12. Dan. IX, 26. Of. XIII, 14. Qui plura desiderat, evolvat prædicti Lassen. Atheism. devict. p. m. 33. 34. 35. 36. 37. sequ. Data itaque sunt promissiones spirituales & completae fidelibus V. T., quamvis in N. T. splendidius explicatae & dilucidatae. Non igitur cum Tertull. L. 4.

cont. Marcion. & Clem. Alex. L. 5. 6. Strom. statuimus, Patres ante Legem promulgatam, justos factos esse Lege natura: Nec cum Socinianis sentimus, eos mandatorum legalium observatione salvatos fuisse. (Smaltz, de Justif. p. 15.) Sed indubitate credimus, illos Lege gratiae & fide in Christum beatitudinem aeternam nactos fuisse.

S. XI. Nam ante Educationem filiorum Israel ex Aegypto, postquam DEUS ex illis peculiarem Ecclesiam, cui se manifestavit, formavit, erant & extra familiam Jacobi & Abrahami, Viri justi & pietatis Cultores, qui proculdubio notitiam habuerunt Veri DEI & Proto - Evangelii in Paradyso promulgati, & in eodem suam fiduciam posuerunt. Quales erant tempore Abrahami Melchisedeck Rex in Salem & Sacerdos DEI altissimi, Gen. XIV. Et tempore Mosis, imo, ut vulgo creditur, ante eum, Jobus Toparcha Terra Huz, qui in sua familia & populo, DEUM Abrahae & Israëlis venerati sunt. Et Festa Pentecostes, quod Spiritus S. visibili descensu in Apostolos Ecclesiam Christi consecrabat, venerunt Hierosolymam Viri ἐν λαζαρεῖ religiosi ex omni Natione, quae sub Cœlo est -- Parthi & Medi & Elamitæ, & qui inhabitant Mesopotamiam & Judæam, Cappadociam, Pontum, Asiam & Phrygiā & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Lydiae, quae est circa Cyrenen & Advenæ Romani, Judæi quoque & Proselyti, Cretes & Arabes, Act. 11, & sequ. Erant inter hos non solum Proselyti Justitia, sed & secundi generis. Illi, quia circumcidabantur, holocausta offerebant, verè pro regenitis habeantur, de prærogativis Israëlitis participabant, ad esum Agni paschalisi, ad offerenda Sacrificia expiatoria, ad pensionem siculi admittebantur, proculdubio Promissiones Patriarchis factas sibi applicarunt, ut DEUM, Autorem eundem coluerunt, Messiam exspectarunt & per fidem in Eum, salvati sunt. Vid. Dn. Præf. Diff. de Cive Hebræor. §. 19. Sed nec

nec minus & hi per fidem salutem consecuti sunt, qui ē tenebris ad veram lucem accedentes, lumen in luce, i. e. Filium in Patre, tot prædictionibus Patrum & Prophetarum illustrem, illuminatis oculis conspiciebant: à fratribus suis, qui extra Christum erant, Eph. II. 12. se avellebant, ut amici Christi & oves unius Pastoris fierent: Idola relinquebant, ut Unum & Trinum venerarentur, & Majestatem divinam ejusque miracula intuerentur; Diaboli fraudes execrabantur, ut in hæreditatem, (quam promissiones de JESU Christō sequebantur,) Israelis susciperentur, & fidei oculis intuerentur JESUM, qui est heri & hodie & in secula, Ebr. XIII. 8. Cui Prophetæ omnes testantur, remissionem peccatorum (& salutem æternam, ceu consequens) omnes accipere per nomen ejus, credentes in eum, Act. X. 43. Nullo modo ergo per opera bona, vel per lumen connatum, vel fidem implicitam, sed per solam notitiam JESU Christi, in ejusque meritum firmam fiduciam ac θεαγέωπος appropriativam apprehensionem, et si inter Ethnicos habitarent, salvatos fuisse omnino asserendum. Ut vix satis mirari possim, quid Præceptoribus quibusdam Scholasticis, viris certè nostri Seculi gravibus, in mentem venerit, ut nunc quoque, temporibus post tam diu revelatum Christum, sine Christi notitia salutem cuiquam æternam contingere posse confirment, prout loquitur Jos. Acosta L. 5. de procuranda salute Indor.

### POSITIO III.

*Salus Gentium minus ritè à Pontificiorum Missionariis hodie promovetur.*

§. I.

**V**identur Apostoli hi Gentium Orbi Christiano salutares quodammodo esse, cum maria, deserta, insulas, sylvas & calidissima climata, tolerando aestum, sitim, famem, morbos aliaque & innumera incommoda, pervagentur, ut Gentilium animas querant, eosque ad Ecclesiam Romanam perducant. Magnam sibi laudem in hisce, praeterea aliis, Jesuitae querunt. Chinam conversam sibi acceptum fert P. Schall, Matth. Rick, Martinus Martinius, unum eum Fratribus Gabr, Magallano, Ferdin. Verbiest, Ludov. Buglio, Pereria, Grimaldo &c. qui omnes ope Matheos tantum Imperatorem Sinicum amore sibi devinxerant, ut liberum Religionis exercitio concessum, multi Principum, Mandarinorum aliorumque sacro baptismatis fonte ab iis tincti, Religionemque Christianam amplexi fuerint, conf. Christ. Franc. Paulin, Philos. Feyer, Abend / p. 129, 130. De Mogoribus gloriatur P. Roth; Abyssiniam P. Pays, Americam Bartholomaeus de la Casa, Acosta & P. Martyr sibi vendicant; Quantu[m] à Sociis & aliis Franciscus Xaverius non propterea habetur? Proh DEUM! Dicitur inde dextra DEI & brachium Ecclesiae; Dicitur supra quinquaginta ad vitam revocasse (En miracula Ecclesiae!) Christum per ejus brachium majora, quam per se operatum. Henr. Engelgrave Cœl. Empyr: P. 1. p. 566. Gregorius X V. dicere solitus fuit, eum in India & Japonia ad fidem Christianam plures perduxisse, quam Romani & Graeci unquam sub servitutem suam coegerint: à quo etiam in Divorum numerum suscepimus fuit, Jäger. Hist. Eccl. Dec. 3. L. 2. c. 1. Vitam hujus Indiarum Apostoli peculiari libro edidit Jes. Horat. Tursellinus Col. Agripp. A.C. 1610. qui ejusdem res gestas, miracula & virtutes maximis laudum præconius prolixè deprædicat. Secutus postea Xaverium Montanus, cuius

Hodo-

Hodopæricon publicè extat. Quendam Franciscanum circiter 400000. hominum sacro fonte in Americâ tinxisse, testatur Lansius Orat. pro Hispan. p. 241. Pontificii affirmant, parvō temporis spatio post detectam ab Hispanis Americam 14. milliones hominum baptizatos fuisse. Laur. Surius in Comm. Rer. in Orbe gestarum ad A. 1556. p. 510. scribit, tot infantes in novo Orbe ad Christianismum conversos, quot homines in antiquo Orbe viverent.

§. II. Verum merito dubitatur, Num ex vero, pro Religione & fide Christiana amplianda, amore & zelo hæc suscepint Patres cum Collegio Romano de propaganda fide? Quis enim nescit Jesuitas aureo hamo solitos pescari? quætere non animarum salutem, ut loculos hominum potius, respicere, ut ordinis splendorem, corralis divitiis, erectis monasteriis, Palatiis, favore Principum suffulti, adaugeant. Hic Fratrum Societatis JESU modus est acquirendi. Præterea hujus Apostolatus scopus est propagatio Papalis Monarchiæ & Philagryæ. Der Pfaffe warff den gefangenen Patribus in Japan für; War es euch zu thun / die Seelen zu gewinnen? Warum schleppt ihr denn alle Jahr so viel Tonnen Goldes aus Japan. Erasm. Franc. Geschicht- und Sittenspieg. L. 3. p. 3. c. 2. Est præterea Modus Convertendi sevus, ineptus & idololatricus. Quis, scribit pomposè Cornæus, utrasquo Indias baptismo tinxit? quis Brasiliam Evangelii prædicatione mansuetus? quis Peru, Mexico ab idolis ad Christum traduxit? quis Canarios, Peguanos, Moluccos, Javares, Philipinos, Canadenses fidei Christianæ edocenda causa adiit, nisi Jesuite, Monachi? Sed quibus mediis audi. In Cannibales Lex à Ferdinandino Rege lata (quæ & in alias provincias extensa) ut, qui Christianam Religionem non amplectentur, protinus servi fierent. Hoc ipsis est, compelle intrare! Luc. XIV. 23.

Hilpa-

Hispanorum certè sævitia in eos tanta fuit, ut ex 2000000. hominum, qui Hispaniolam olim incolebant, vix hodie 150. supersint, teste Beyerl. Th. Vit. Hum. T. 2. L. 3. p. 536. Plurimi Indorum vitæ tædio se ipsos necarunt plures in montes altissimos aufugerunt, plures mare fuere execrati, quod talia monstrata in terras suas evomuerit. Conf. Kromay. Theol. Pos. Polem. Art. 8. p. 1024. Christus dixit Apostolis; Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creatura: Hispani (Germani, quorum seminaria sunt Ingolstadii, Moguntia &c.) suis Apostolis dicunt. Ite in omnes auri & argenti divites Regiones & Papæ Romani Religionem & Imperium prædicate, omnes populos pecudum instar servitiis addicite, vendite, mactate, ut ait Lans. Consult. contr. Hilp. p. 427. Quanta sævitia non quælivere aurum? ut Indi non aliter opinarentur, quām aurum esse Hispanorum Deum, sic uti Indus quidam de capsula auro repleta, dixit: Iste est Hispanorum Deus! Lans. l. c. p. 429. Nonne tot millia hominum canibus ad dilacerandum sunt projecta, propter nullam aliam causam, quām quod aurum, quantum poscerent, non attulissent? Egregia sane conversio, ad Plutonem releganda! Als einer unter ihnen sollte verbräunt werden/u. erinnert wurde/ Christlich zu sterbē damit er möchte ins Paradies gelangen. Protestierte er dagegen aus allen Kräfften/ daß er dahinein begehrte / weil Spanier darinnen wären; Es bekamen diese Wilden ob den Spaniern solchen Abscheu / daß sie auch ihren Frauen nicht mehr bewohnen wolten / damit sie diesen Wüterichen in künftigen Zeiten keine Sclaven verschaffen/ scribit Du Vall Geograph. univ. P. 1. p. 31. Nescio, quo titulo seu jure imperium seu possessionem Novi Orbis ejusque incolatum sibi arrogant sangvinarii conversores, non dicam perversores; num titulo hereditatis, an donationis, an jure belli? Neutrum horum appetet: nisi dicere velis, Alexandrum VI. Pon-

27

V. I. Pontificem inventam à Columbo Americam Ferdinando Cathol. Regi Hisp. donasse, quamvis in universa America nihil omnino esset, quod Pontificem agnoscere Dominum aut Possessorem. Conf. Bekman. p. 2, H. O. T. Et sic Pontifex, de alieno liberalis, non fuit liberalis. Sed concedo, Papam has longinas Regiones donasse, verum titulo superbiæ & ambitionis, quæ est mater hæresium. Magna quippe potestas Papalis. Ejus potestas, ait Antoninus, est major omni potestate. Nam de Papa dictum est Ps. VIII. *Omnia subiecisti pedibus, oves, i. e. Christianos, boves (Judeos) & pecora campi (i. e. Ethnicos) & volatilia cœli (Angelos bonos & malos) & pisces maris (eos, qui in purgatorio)* P. 3. th. 22. c. 5. §. 1. ap. Kipping. de tripl. coron. P. R. §. 13. n. 80. Obedientiam præstiterunt filii, & Americam ceu rem derelictam (juxta phantasmatum eorum) in possessionem cepere. Quanti vero & ipsi Americanos habuerint testantur sequentia. Die Spanier haben die Indianer so gering geachtet / dass sie auch sagten; Christus habe mit seinem Blut die Seelen der Indianer nicht erkaufft / und dass zwischen dem wilden Vieh und Indianern kein Unterscheid zu machen / inquit Tavernier Orient. Reis. Beschr. L. I. p. 21. sed è diverticulō in viam.

§. III. Modum hunc convertendi porro esse ineptum & impium ex eo patet, quod, si saltem Neophyti baptizati sint, de coetero non curent, quam doctrinam confiteantur, quid credant, quemve pro Deo agnoscent, sed illos in suâ idolatria degere sinunt, credant, quid velint. *Vix unus*, inquit Benzo, *in Cuba sponte sua Christianismum recepit: nec quicquam hujus Insulae & novæ Hispanie incolis præter solum nomen relictum.* Ita illorum, que in baptismo spondere incuriosi sunt, ut solius dunt axat sibi imposui nominis meminerint; imo & hujus sepe obliviscuntur. Reliquæ Americae Regiones idololatrarum sedes sunt,

Autor Hist. nov. Orb. L. 2. c. 19. Conf. Brerewod. Engl. Scrutia Relig. c. I. p. m. 19. Dogmata Christiana nullo modo inculcantur, sed hæreses, humanæ traditiones, fabulæ; de proselytorum magis numero, quam de solida institutione solliciti, ut credere nequeant, quia nihil audiverunt. Sacerdos ille in provincia Panagnojana ex baptizandis nihil aliud percontabatur, quam quo nomine appellari vellent, num Didaci, Alphonsi vel Petri, Hospin. Hist. Jes. p. 139. Atque sic tota catechizandi, baptizandi &c. ratio est umbratilis & ludicra. Huc trahendum testimonium Hugonis Grotii, qui Tract. de Mari liberò, c. 4. p. m. 15. hunc in modum scribit; *Omittimus jam*, inquit, *Lusitanos in plerisque partibus Religionem nihil promovere, nec operam quidem dare, cum soli lucro invigilant.* *Ind* illud ibi verum esse, quod de Hispanis in America Hispanus scripsit, non miracula, non signa audiri, non exempla vite religiosa, que ad eandem fidem alios possent impellere, sed multa scandala (quando hi maleferiati noctes transigunt lusu aleæ, & mane ad Missas celebrandas accurrunt, ut ait Joseph. à Costa Ind. Rer. L. 4.) multa facinora, multas impietates. H. J. Ut taceam, non Christum ibi annunciarí, sed potius phantasmatum, ex suo ingenio facta, atque sic non Christi, sed Satana regnum proplantari, tenebras tenebris multiplicando. Eò enim effrenis Mönachorum licentia processit, ut de universo Evangelio Christi abrogando varias & impias suscepérit cogitationes. Paucis abhinc annis Hieron. Xavier Persis historiam dedit Evangelicam, fragmentis apocryphis adeò collutulatam, ut si ex eâ cœteri Evangeliorum codices essent emendandi, σεροφι- μένοις in posterum μύθοις Ecclesia DEI esset nutrienda. Hotting. Thef. Philol. p. 169. Pauci, quibus salus animarum in conversione finis, si non primarius tamen secundarius est, satis sc̄e catechumenos suos instruxisse ducunt, si tantum verba Symb.

Apoll.



Apost. Orationem Dom. & Ave Maria memoriter recitent, more  
Psittacorum, ut testatur Schott. Mag. nat. P. 2. l. 1. c. 2.

S. IV. Quæsivere porro in hisce nonnisi Gloriam pro-  
priam & humanam. Est hic insitus genius Jesuitarum, ut eru-  
ditionem, sinceritatem fidei, sanctitatem & pietatem suam præ-  
dicens, similes R. Eleazaro, qui gloriabatur; *Omnes sapientes*  
*Israelis coram se esse instar tuniculae altii cuiusdam, hoc calvo*  
(R. Akiba) excepto, Vorst. in R. Mos. Maimon. Theorem. de  
Fundam. Leg. c. 5. n. 5. p. 57. vel Democrito, qui de se ipso;  
*Homines, inquit, doctos audiui plurimos, & in componendis cum*  
*demonstracione lineis, nemo me adhuc superavit,* ap. Nic. Causin.  
Obs. ad Hor. Apoll. Hierogl. p. 90. Trahuntur omnes laudis  
studio, & optimus quisq; maximè gloria dicitur, ut confundant  
& ruborem incutiant Protestantibus, qui non simil cura info-  
lenti per saxa, per ignes currunt, ut Barbaris Evangelium præ-  
dicent. At anguis latet sub herba! Non enim querunt hi Sal-  
vatores Cosmici vel Comici, quæ Christi, sed quæ sua sunt, hinc ex  
captatione famæ & benevolentia totiurgia, tot lites inter ipsos  
& alios Ordines. In Chinensium conversione tantopere sudant  
Jesuitæ, in primis Portugalli, ut inter eos & Dominicanos acer-  
bissimæ lites ortæ sint, & Papa Nuntium Apostolicum cum  
Missionariis de novo illuc misericit: Dominicani ultores injuria-  
rum Octo Tomos Moralium practicorum Jesuitarum in lucem  
dedere. Non quievere Jesuitæ, sed acriori lixivio Dominicanorum  
capita lavarunt. Omnia scripta inter utramq; partem ven-  
tilata prodiere sub tit. Historia Cultus Sinensium inter Vicarios  
Apostolicos aliasque Missionarios & Fratres Societatis JESU con-  
troversi, oblata innoc. XII. Papæ R. & Sacrae Congregationi  
Eminentiss. Cardin. dirimente huic causa proposita. Conf.  
Paulini Lange Weile / n. 109. p. 444. Ab hac φιλαντίᾳ &  
φιλοτεχνίᾳ procul fuit Paulus Gentium Doctor, cuius gloria testi-  
monium

monium bonæ conscientiæ erat, 2. Cor. I, 12. hinc aperte dehortatur; Ne jacket se sapiens in sapientia sua &c. 1. Cor. I, 31. Felicissimus, quem non decepit vanitas, sed qui gloriatur in solo DEO. Sed quid multis! Expelluntur hi Satanæ pulli, propterea è patriis sedibus inde in alienas oras migrant, novas ibi flamas excitaturi. Expulsi enim sunt ex Anglia, è Venetiarum territorio, severissimâ additâ Lege, ne quis ex Senatu pro illis intercederet, Browne Relig. Med. p. m. 33. E Galliâ, conf. Piasc. Chron. f. 124. Quid ergo mirum, si, qui Mercurium habent in pedibus, pedes suos inquietissimos in omnes angulos Orbis inferant? Gloria calcar addit his Pegasis, ut ceu stellæ errantes, fixas lirnis oculis despiciant, exemplo Majoli dicentis; *In utrasque Indias non labrusca hæritorum, sed Catholicae fidei semina jacta sunt*, Dieb. Canic. Coll. 20. p. 629.

¶ V. Proinde fuit & plerisque *Exitus trifitis*, cùm prædicatione hæc pistolica nil nisi excidia populi Urbium, Regionum & desolationes causata fuerit. Loquatur pro nobis Justus Lipsius; *Pauculi Iberi ante annos 80. in vastas illas & novas terras delati, que funera, DEUS bone, ediderunt! quas strages!* Nec de causis aut jure belli differo, tantum de eventis. Cerno ingens illud terrarum spatum: quod vidisse magnum sit non dicam vicuisse; à vicenis tricenisque militibus pervadi: & passim inermes illos Greges sterni, ut segerem à falce. Ilbi tu es Insularum maxima Cuba? tu Hayti? vos Jucaje? que olim 500. aut 600000. hominum succincta, alibi vix 15. ex iis retinuisti in semen. Ostende etiam te paulum tu Peruana, tu Lexicana ora. Heu mirram miseramque faciem! immensus ille tractus & verè alter Orbis vastus attritusque appetet, non aliter, quam si cœlesti igne deflagrasset. -- Homines ingenuos, nobiles, pueros, foeminas, victor abripiebat, quis scit an in eternam (non salutem, quæ-

ta-

tamen primariò prætensa) servitutem! Certè servitutem.  
*Sed thicum Dominatum!* De Constant. L. 2. c. 22, p. 142. Eadem mensura retributa Missionariis alio in loco, ubi probè dicerunt regulam juris naturæ; *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Anno 1584. Jesuitæ fidem Romanam in Japonia propagare satagebant, hinc per Legatos subjectionem Japanensium Sedi Romanae policebantur; ast cum Imperium & Dominatum affectarent, introducta Christiana Religio incredibili suppliciorum gravitate deleta fuit, in primis ab A. 1620. ad 1624. Alii in ferventem lacum præcipitabantur, multi casis angustissimis & aculeatis inclusi, post longum intervallum temporis mortui sunt, morante mortem oryza & aqua, alii lignis acuminatis impositi, dolii serpentibus plenis inclusi, cremati, crucibus affixi, sarcis constricti, capite tamen liberò, ungibus manuum pedumque privati, nonnulli limis & ferris lente discerti, conf. Hazart. Catholisch. Christenth. P. 6. c. 7. 11. 4. P. Claud. Histor. Bericht von etlichen Märtyr. in Japan. p. 12. Erasm. Franc. Traut-Saal/ Part. 4. Bernh. Varen. Descr. Regni & Relig. Japon. p. 224. Persecutio hæc ad 400000. Christianorum delevit; Caron Deser. Jap. c. 4. qu. 15. Vid. Anton. Franc. Cardim. è Soc. IESU è Japponicis floribus suo adhuc madentibus sanguine compositus, in quo Autor ultra 84. Jesuitas tam ex Europæ, quam Neophytis Japon. iconibus illustratos sistit, igne, gladio, aqua ferventi, variisque cruciatus necatos. Impresi. Romæ A. 1646. Hodie Batavi soli ibi negotiationes instituunt: interrogati, quam Religionem profitantur, se non Christianos, sed Batavos esse afferunt, vid. Varen. l. c. p. 193. Sufficit una Japonia. Quid alibi gestum sit, omitimus; Discant saltem cautius mercari, nec Religionem armis vel sanguine (ut solent cum zizania evellere triticum, Matth. XIII, 28. & contra Gentes & hæreticos cum Elia ignem de

cœlo petere, Luc. IX, 54.) sed argumentis & doctrinâ cœlesti propagare. Melius fuisset, ut majorem curam Portugallii & Jesuitæ in Japonia animabus salvandis, quam auro impendissent. Scilicet è missis & indulgentiis tot 100. tonnas auri corridentes ; ut taceam, Concionibus suis ad seditionem populum magis incitasse, Montani Japon. Gesandschafft p. 169. 170. Hinc illæ lachrymæ! Imitantur hac in parte Phariseos, qui summo studio anxiè Proselytos piscabantur, ad quos Christus ; Ve vobis Scribe & Pharisei hypocrite, quia circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytam : & cum fuerit factus, facitis eum filium gehenne duplo magis, quam vos estis, Matth. XXIII, 15. Conf. Act. XV, 5.

§. VI. Denique in vito possum est, quod ejusmodi Excursiones in longinquas Oras faciendo, domi officium negligant, & ibidem Vacune plerumque litent. Molesti existunt aliis, cum se in divitium ædificia, aulas Regum, tribunalia & fora intrudant, lecticis aliorum oculos injiciunt, & à fenestrâ suspendunt : Recommandatum sibi habeant illud Siracidis ; Mi fili, ne varia negotia tibi propone, nihil enim lucaberis, c. XI, 10. ac prov. usitatum ; Medice cura te ipsum, quod notante Eraim. Roter, convenit in tales, qui aliis sapient, non sibi, vid. Chil. 4. Cent. 4. Prov. 22. Præsent saltē officio suo ritè, multa invenient ibi plantanda, riganda, extirpanda, spartam suam concreditam cordicitus ornent, nec cogitationes ad Barbaros vagari sinant : Nusquam est, qui ubique est. Alia mens Protestantium, hi enim in officiis suō commissio strenue laborant, lupis rapacibus resistunt, lacayinòv ιγγ ἄδολοv suis auditoribus præbent, 1. Pet. II, 2. in speculâ nocte & de die consistunt & vigilant, Es. XXI, 7. ne hostis per vitæ & doctrinæ corruptelas noceat. Verbum DEI predican tempore tempestivo & intempestivo, hortantur patientia & doctrina, 2. Tim. IV, 2. Scripturas scrutantur, Joh. V, 39. medi-

meditantur Conciones, & accommodant se auditorio, ut sic munus Episcopi non honor, sed *leges* seu opus sit, juxta *I. Tim. III, 1.* *Opus non ludus atque animi delectatio, cura non luxus, munus non imperium*, inquit *Isid. Pelus. L. 3. Ep. 216.* *Conf. 2. Cor. VI, 4.* Satis hic negotii! Magnus labor curare corpus, quid non animas? At Ministri Ecclesiae animarum sunt curatores, haec pignora ipsis concredita, de his demum ratio in judicio pantocriticō reddenda: non ergo opus est, ut liminibus paternis relictis, littora extrema querant, ac terras alieno Sole calentes, arvaque peregrina petant, ni velint oves & stationem suam deserere. *Sciendum non esse boni Pastoris oves commissas deferere, & alio vagari*, inquit Concil. Chalc. Can. 5. Nec licet Episcopo temerē Ecclesiam suam relinquere, & ad alienam transire, conf. Osian. Theol. Conse. P. 1. p. 92. Sed nec sunt apud nos tot cœnobia, tot in iis divitiae, quæ fundere queant aliquot millia hominum, nulli Ecclesiae additorum, quorum multi *pastores ægypti*, *Tit. I, 12.* fruges consumere nati.

**S. VI.** Evidēt & à Protestantibus hodiēnum Salus Gentium nondum converſarum pro virili fuit promota & promovetur, qui & ipsi omnem moverunt & movent lapidem, quo errantes in viam revocentur, & ex tenebris infidelitatis prorrahantur. Sed aliis longè sanctioribus & mitioribus utuntur mediis: Scilicet si occasio detur converteri Infideles, ambabus illam arripiunt manibus, remota omni violentia & coactione, quæ hypocritas non fideles Christianos facit, illis, qui ex infidelibus veniunt in suam potestatem, vel singulatim, vel in Provinciis & Regnis svalent Religionem Christianam, informant eosdem in eādem, & informatos & baptizatos sic forcent & nutrīnt, ut oviculas IESU Christi, quas ipse etiā ex

Gentilibus ad suum ovile adducendas promisit, Joh. X. ad pura & salutaria V. Æ. pascua deducant. Sic enim non modo Sveci multos in Lapponia, Dani in Grœnlandia & alii alibi ad fidem Christianam perduxerunt. Sed & ab Anglis & Belgis Conversio Gentium feliciter cœpta est, in India Orientali & Occidentalí per commercia & colonias Voet. Diff. Sel. P. 2. p. 633. Justus Heurnius 14. annis apud Indos Evangelistam egit. Id. l.c. p. 636. Sic in Boston Novæ Angliae Academia est & Biblia lingva Indica donata pro Indiae Studiosis; Ut & in Virginia, Relat. Cour. A. 1700. N. 65. Quantam curam Societas Anglicæ Indiæ Occidentalis in dilatanda Religione Christi habeat, monstrat Academia in Williamsburg erecta. Puritani in novâ Anglia tot millia Americanorum converterunt. Horn. Orb. Pol. p. 563. Qualis progressus Religionis in Pensylvania fuerit, conf. Franc. Dan. Pistorii Provinciæ hujus Geograph. Dscr. & Paulini Philos. Lust-Stunden / p. I. n. 32. p. m. 25 I. 252. sequ. Plura dicere supersedemus; *Tu verò JEsu Christe, qui acquisivisti Ecclesiam proprio sanguine, qui liberasti omnes ab ira DEI, maledictione Legis, servitute peccati, potestate Satanae & morte eterna, propitiatio factus pro peccatis nostris & totius mundi, duc oves errantes in viam cali, monstra eis viam, ut ambulent in veritate tua, educ eos ex captivitate, ut à laqueis Satana liberi reddantur, sis ipsi in tenebris loco lumen,*  
*ut in Lumine tuo videant Lumen Aeternum.*

Amen.







01 A 6526



56

V017

R

Fi 51.



### Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
White  
3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



# THEOLOGICA, exhibens **POSITIONUM DE LUTE NITIUM DELIUM,**

*Quam  
VANTE AUXILIO  
CULTATE THEOLOGICA  
SENTIENTE,  
PRÆSIDIO*

**DI von SANDEN,**  
Prof. Prim. Concionatoris  
Sist. Samb. Consil. dignissimi,  
**DEMIA PATRIA,  
TORIO MAXIMO**  
ventilandam proponit

**IUS REIMER,**

Reg. Pruss.

& RESPONDENS,  
XIII. ad d. 20. Junii,  
H. Lg. S.

, Typis ZÄNCKERIANS.